

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Locus à Repugnantibus. Cap. XXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](#)

quentibus probat pauperes spiritu, hoc est, humiles, esse beatos; quia ipsorum est regnum cælorum: item beatos mites, quia possidebunt terram; non solum hanc, sed (ut S.interpretatur Augustinus) terram viuentium: qui sermo omnes beatitudinis consequendæ vias complectens, est omnium, qui vñquam habiti sunt, sermonum pulcher-rimus & fructuosissimus.

Locus à Repugnantibus.

Cap. XXXVIII.

RE PV G N A N T I A sunt, ea quæ neque certal-
ge, neque ordine inter se differunt; qua ratione à
contrarijs, atque dissimilibus discernuntur. Argumenti à
repugnantibus, talis est forma: Qui diligit Deum, non o-
dit quenquam: si fato omnia fierent, tolleretur liberum
hominis arbitrium; laus, poena, virtus, vitium, gloria, ina-
nia essent nomina: proximus inuidet fratri suo, ergo cha-
ritatem non habet: & hoc loco concionatores solent vii,
tractantes illam sententiam, nomine Christianos nos di-
ci, sed mores repugnare nobilissimo nomini, quo nomina-
mur: humilitatis enim, mansuetudinis, obedientiae, cle-
mètiae, & omnium virtutum exemplar dedit Christus Ie-
sus, à quo nomen accepimus: nos volumus haberi, qui non
sumus, meliores, doctiores, atque etiam ditiores, quām
sumus: turpe putamus non vlcisci iniurias: imperare est
iucundissimum. it à etiam poterit argumentari; Qui di-
ligit mundum, non est charitas Dei in eo, & si quis dixe-
rit, quia diligo Deum, & fratrem suum odit, mēdax est.
D. Ambrosius usus est hoc loco in sermone de decollatione
S. Ioannis Baptistæ, his verbis: Postremò, quod etiam om-
nes

nes barbari horrere consueuerunt, inter epulas atq; conuiua, cōsummandæ crudelitatis profertur edictum; & à conuiuio ad carcerem, & à carcere ad conuiuiū, feralis flagity circunfertur obsequium: & paulò post; Quid crudelitati cum delicij;s? quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad pœnam prophetæ conuiuiali tempore, conuiuiali præcepto, quo non cuperet vel absolui; perimitur gladio, caput eius affertur in disco: hoc crudelitati ferculum debebatur, quo, insatiata epulis, feritas vesceretur.

Locus à Causis. Cap. XXXIX.

CAVS A est, cuius vi sequitur effectus: sunt autem quatuor genera causarū, materia, forma, efficiens, & finis. In omnibus rebus, tam naturalibus, quam artificiosis, vt alio loco diximus, has quatuor causas facile est reperire. Materia est, ex qua res est. A causa materiali ducuntur ex sacris literis argumenta; In primis, quæ hominem ad modestiam excitent, vt in Genesi dicitur, hominē formatum esse de limo terra: quarè peccāti Adam ob superbiam, Deus obiecit illum reuersurum in terram, de qua assumptus fuerat; quia, inquit, puluis es, & in puluerem reuertēris; et Abrahā coram Deo se deiecit, Quia semel cœpi, loquar ad dominum meum, cùm sim puluis et cinis. Hoc argumento Deus ad misericordiam inducitur: Recordatus, inquit Dauid, quoniam puluis sumus. & Iob: Memento, quæso, quòd sicut luum feceris me, & in puluerē deduces me. et Esaias: Et nunc, domine, pater noster es tu, nos verò lutum; & sicut noster tu, & opera manuē tuarū omnes sumus; nè irascaris, domine, satīs, et nè vltrā